



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Conciliorum Omnium Generalium Et Provincialium Collectio Regia

Ab anno CCCXLVII. ad annum CCCCI.

Parisiis, 1644

Concilium In Sicilia.

urn:nbn:de:hbz:466:1-15256

LIBERIUS VALENTINIANVS IMP. 225
PAPA. VALENS

ANNO
CHRISTI
365.

CONCILIVM IN SICILIA.

NOTA.

Concilium.] Eustathius Sebastenus, ceterique legati Lampsacenses in Siciliam profecti fuerunt, vbi Concilio episcoporum Siculo-rum conuocato, coram illis similiter fidem *confessionalis* se seruare confitentur, fideique formulam in Nicæno Concilio confirmatam ratam faciunt. Ita Socrates lib. 4. cap. 11. addens quod cum professionem fidei per literas communicatorias a Pontifice acceptas confirmassent, pontificis epistolis suas eiusdem argumenti ad orientales scriptas addiderint. Tanta enim erat Romani pontificis auctoritas, ut quos ille communione catholica dignatus fuerat, quantumvis de fide maxime suspecti essent, nemo eos recipere detrectaret. Vide Baron. ann. 365. num. 16.

ILLYRICA SYNODVS.

NOTA.

Illyrica Synodus.] Hæc Synodus occasione Eustathii & Pontificis legati congregata fuit. Eustathius cum suis in Illyricum profectus, post fidem catholicam ibi prædicatam, literasque communicatorias aliorum acceptas, horum etiam communione impertiri sollicitat. Liberius pontifex propter confessionem fidei a legatis orientalibus emissam, sperans vniuersum orbem Christianum sub una fide catholica & Nicæna fidei professione redigendum, prædictis orientalibus Elpidium Romanæ ecclesiæ presbyterum legatum adiungit; qui antequam in orientem abiret, vniuersam occidentalem ecclesiam de fide catholica orientalium ad ecclesiam redeuntem certiorem redderet. Episcopi igitur in Illyrico hac occasione conuenientes, principio fidem Nicænam, paucis exceptis, omnes confessi fuerunt, atque ea de re per Elpidium ad orientales synodicam scriperunt, cui Valens imperator suas addidit. Episcopi Italiae Illyricis, quod fidem Nicænam recepissent, per literas gratulati fuerunt. Baron. anno 365. num. 17. & seqq.

Concil. Tom. 3.

Ff